



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 1. Proponitur, & resolvitur Controversia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

DISPUTATIO XV.

AN AD CERTITUDINEM FIDEI REQUIRATUR, UT
EVIDENTER INNOTESCAT CREDITURO, DEUM
REVELASSE NOSTRAM RELIGIONEM.

706. **A**liter solet hæc quæstio proponi ab aliquibus, nimirum: An evidens sit, quodd Religio Catholica, sive mysteria nostræ Religionis sint à Deo, ac proinde, an sit evidens, quodd sint vera: Cæterum ut certa ab incertis distinguamus, & declaremus sensum, in quo exagitur præsens controversia, notare oportet, dupliciter posse fidem nostram considerari. Primò, respectivè ad illos, qui immediate fidem acceperunt, & revelationem à Deo, uti illa acceperunt primus Angelus, Prophetæ, & Apostoli, de quibus tanquam probabilius diximus, habuisse evidentiam in attestante, atque exinde etiam habuisse evidentiam de Religione Catholica, ut constat à num. 523. Unde controversia præsens non exagitur in hoc primo sensu. Secundò, considerari potest fides nostra respectivè ad fideles, ad quos testimonium divinum mediata pervenit per Prædicatores, atque per ordinaria media præsentis providentiæ, ut communiter advenit ad fideles; atque in hoc sensu exagitur difficultas, an nimirum relatè ad istos mysteria Religionis Catholicæ sint evidenter vera, & Religio Catholica non solum sit evidenter credibilis, & credenda, sed sit evidenter vera? quare duo hic possunt inquiri, quæ per duas assertiones resolvemus. Primum erit, an fides divina secundum se exigit præviam evidentiam de veritate sui objecti; proindeque relatè ad omnes fideles sint evidenter vera. Secundum, an saltem in nobis fides Catholica, sive Religio Catholica sit evidenter vera.

SECTIO I.

Proponitur, & resolvitur Controversia.

707. **P**rima sententia tenet Religionem Catholicam relatè ad omnes fideles esse evidenter veram. ita Elizalde in opere de forma veræ Religionis quærendæ, & inveniendæ quæst. 19. & 21. quem sequitur unus vel alter Recentior. Citari solent pro hac sententia D. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 4. ad 2. & Exim. Doctor; immeritò quidem, nam oppositum expressè docent, ut statim videbimus. Secunda sententia docet: Religionem Catholicam relatè ad omnes fideles nequaquam esse evidenter veram: ita D. Thomas loco ab Adversarijs citato, ubi solum docet esse evidenter credibilem, & sic dici visam à credente, prout videt eam credendam esse. En ejus verba: *Ad secundum dicendum, quodd ea, qua sunt fidei du-*

pliciter considerari possunt; uno modo in speciali, & sic non possunt esse simul visa, & credita, sicut dictum est: alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis, & sic sunt visa ab eo, qui credit; non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid ejusmodi. Vide num. 712.

Unde Cajetanus in eo articulo hæc habet: 708. *Ut habitus infusus præbeat, & pariat in suo actu evidentiam sibi consonam, quæ jam explicata est, scilicet evidentiam credibilitatis eorum, quæ sunt fidei, & infra: alius sufficit evidentia ex fide digno testimonio, quoniam evidentia credibilitatis est ut ratio assensus, ac per hoc perfectius est habere ex lumine fidei assensum, & ratione assensus, scilicet evidentiam, quam habere assensum tantum, & ideo assensus omnibus communis est, qualitercunque fidem habentibus; evidentia autem perfectioribus in fide convenit. Id est (ut alibi docet) illis, qui habuerunt evidentiam in attestante. Hanc sententiam sequuntur ferè omnes Theologi cum Eximio Doctore disp. 3. de fide sect. 8. Bellarmino tomo 2. controversia 4. lib. 4. cap. 3. Card. de Lugo disp. 2. de fide. Cæterum mihi maximi ponderis semper fuit, & revera est singularissima illa expressio, qua Exim. Doctor in loquendo semper modestissimus hanc conclusionem tradit, eam quippe adeò veram judicat, ut dicat esse certam de fide.*

En ejus verba disp. 3. sect. 8. n. 5. Oportet 709. *advertere, duobus modis pervenire ad aliquem divinum testimonium; primò, immediate, ut v. g. ad Angelum, vel ad Prophetas omnes, vel aliquos. Secundo, mediata, sicut pervenit ad fideles, per Prædicatores fidei, ut infra contra aliquos hereticos ostendemus. Quando fides proponitur hoc posteriori modo, certum de fide est, & experimento cognitum, non esse necessariam evidentiam divini testimonij, quia constat simpliciter fideles, immò omnes sic credentes, non habere hanc evidentiam ipsius revelationis, sed solum credibilitatis ejus, & quamvis sapientiores majorem quandam humanam certitudinem habeant, non transcendit fidem, & ad summum pervenire potest ad gradum evidentia moralis. ex his ergo satis constat, non esse de necessitate fidei secundum se spectatè evidentiam Dei revelantis, seu, quod revelatio sit à Deo.*

Assero 1. cum secunda sententia: Religio 710. Catholica licet sit evidenter credibilis, & credenda, at non est singulis fidelibus evidenter vera; unde evidentia de veritate objecti, cui assentimur non est de necessitate fidei secundum se. Probatur 1. Ratione fundamentali Eximij Doctoris: quod est de necessitate fidei secundum

secundum se, est necessarium singulis ad credendum; atqui evidentia de veritate objecti non est necessaria singulis ad credendum, ut ostensum est num. superiori; ergo non est de necessitate fidei secundum se. Confirm. 1. Quod per se alicui convenit semper, & ubique convenit; atqui fides, quæ reperitur in rudibus, & in doctis, non convenit conjungi in eodem intellectu cum evidentia de veritate objecti per fidem attracti; ergo evidentia de veritate objecti per fidem attracti, non est de ratione fidei secundum se. Confirm. 2. Potest dari sufficiens approximatio ad credendum fide divina mysterium, quin necessitetur intellectus ad assensum mysterij, ut supra diximus, & statim etiam dicemus, ostendendo qualis sit tendentia fidei in divinum testimonium, qua tale; atqui, si ad sufficientem approximationem requireretur evidentia de veritate objecti, non posset intellectus non assentiri; objectum enim, quod apparet evidens, intellectum rapit ad assensum, ut sæpe diximus, & experientia demonstrat; ergo non prærequiritur evidentia de veritate mysterij credendi per fidem tanquam necessaria approximatio ad objectum divinæ fidei.

711. Probatur 2. & explicatur ulterius eadem ratio; divinum testimonium non est objectum formale fidei, si sumatur præcisè ut res quædam naturam suam habens connexam cum altero, vel ut doctrina: sed quando sumitur tanquam testimonium, ut constat à num. 558. atqui, ut accipiatur tanquam testimonium necessaria est, ut voluntas liberè moveatur assensum propter infallibile Verbum Dei, non quia repræsentatur evidenter existens, sed præcisè, quia repræsentatur illi ut obligans ad talem assensum, sicque intimatur voluntati obligatio imperandi illum altiore assensum per simplicem adhesionem ad Verbum Dei qua tale, taliter, ut Prophetæ, qui habuerunt evidentiam in attestante, non potuerint assentiri mysterio propter divinum testimonium, qua testimonium, nisi ex tali animi præparatione assensum imperarent, ut quamvis deficeret illa evidentia, & maneret sola obligatio credendi assensum illum imperarent; ergo evidentia de veritate objecti, cui per fidem assentimur, non est de necessitate fidei secundum se. Maj. & conseq. tenent, min. verò probatur: si aliquis habens evidentiam de existentia divinæ revelationis connexæ metaphysicè cum mysterio ita assereret: assentior mysterio ratione revelationis, quam evidenter cognosco existentem, & connexam cum mysterio, non assensurus, si hanc evidentiam non haberem, licet mihi proponeretur cum evidenti obligatione credendi; talis quippe esset infidelis, ideòque assensus modo præstitus non esset fidei, atque adeò non respiceret divinum testimonium, quæ testimonium, sed non ex alia ratione, nisi quia voluntas non imperaret liberè illum assensum ex animi præparatione

ad imperandum, licet non haberet evidentiam de veritate objecti, sed solum obligationem imperandi assensum absque formidine propter Verbum Dei; ergo assensus fidei ex hac animi præparatione oriri debet, ut sit fidei, & ut attingat divinum testimonium, quæ testimonium; quapropter libertas quoad speciem, si non requirat exclusionem cujuscunque assensus, modo, quo illum explicat Adversarij, cum quibus egimus num. 561. sed satis ad illam sit proxima facultas ad actum fidei, vel infidelitatis; quamoptimè componi poterit cum evidentia in attestante libertas, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad speciem relatè ad actum divinæ fidei.

Confirm. 1. Fides, ut omnes Theologi tenent, juxta doctrinam Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, non potest esse coacta, sed libera; unde August. tract. 26. in Joannem, *Initare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest, nisi volens*: atqui, si ad assensum fidei, qui per simplicem adhesionem nisi debet testimonio divino, quæ testimonio, non esset necessaria illa libera, & pia voluntatis affectio, qua voluntas moveatur ad imperandum, licet deficeret evidentia, & solum maneret obligatio credendi absque formidine, nulla assignari posset ratio, quare actus fidei non posset esse necessarius, & quare non posset necessitari à Deo intellectus, ut sine libero voluntatis imperio eliceret actum, qui reverà esset actus divinæ fidei, nixus testimonio divino, quæ testimonio, ut expendenti constabit; ergo &c. Confirmatur 2. & quidem validissimè ex S. Parente Ignatio, qui tanquam Sanctorum doctrinam certissimam supponit ad Catholicam fidem non requiri evidentiam de veritate, sed de obligatione credendi à Deo imposita; ideòque eam vult obedientiæ normam esse; sic enim habet epistola de obedientia num. 18. *Postrema subiiciendi iudicii ratio est, cum facilius, turioresque etiam apud sanctos Patres in more positum, statuat obsequium ipsi, quidquid superior præcipit, ipsius Dei præceptum esse, & voluntatem, atque, ut ad credenda, quæ Catholica fides proponit, toto animo, assensuque vestro statim incumbitis, sic ad ea faciendâ, quacumque superior dixerit, cæco quodam imperii voluntatis parentis cupida sine ulla prorsus disquisitione feramini*. Expendantur bene ista verba, & apparebit tota doctrina nostra urgentissimè confirmata.

Confirm. 3. ex S. Thoma, qui querit, an quando ratio humana demonstrativa de aliqua veritate præcedit, fidem minuat, vel totaliter excludat meritum fidei, juxta illud divi Gregorij: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*. Et respondet 2. 2. art. 10. ad 1. per hæc verba: *Ad primum ergo dicendum quod Gregorius loquitur in casu illo, quando homo non habet voluntatem credendi ea, quæ sunt fidei, nisi propter rationem*

dictam, quando autem homo habet voluntatem credendi ea, quæ sunt fidei ex sola auctoritate divina, etiam si habeat rationem demonstrativam ad aliquid eorum, puta ad hoc, quod est Deum esse, non propter hoc tollitur, vel diminuitur meritum fidei. Quæ verba D. Thomæ totam nostram doctrinam compendiosè continent, simulque tradunt sensum, in quo D. Thomas, aliique Patres docent, fidem esse obscuram, id est, quatenus nullo modo exigit evidentiā de veritate ex modo suo tendendi, & adhærendi testimonio divino quā tali; ex quo apparet, D. Thomam in eo articulo assumere verbum *minuo*, non solum prout significat partem tollere, sed prout significat omnem fidei rationem, & meritum detrudere, & extenuare, ita, ut juxta subjectam materiam possit jam in uno, jam in altero sensu accipi, ut legenti articulum illum constabit. Eandem etiam doctrinam expresse tradit quæst. 1. art. 4. in corpore; quæ omnia confirmari etiam possunt ex Innoc. XI. inter 65. Propositiones damnante 19. quæ sic habebat: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*. Ex quibus etiam apparet, quomodo fides non possit esse discursiva, eo quod conclusio non possit attingere divinum testimonium, quæ testimonium, sed quatenus constituit rem quandam, sive identitatem extremorum cum medio connexam cum altera, nempe cum identitate extremorum inter se, moventem ad assensum, quin potius movet, & quidem independentem à libero voluntatis imperio; quod repugnat actui respicienti divinum testimonium, quæ testimonium.

714. Probat 3. conclusio: evidentiā abstrahendā à Metaphysica, Physica, & suprema morali, est apparentia convincens intellectum, ita, ut vel necessitetur, vel saltem sine imperio voluntatis sufficienter trahatur ad assensum objecti absque formidine de opposito: atqui, ut firmissimè credamus, non requiritur apparentia modò explicatò convincens intellectum de hoc, quod Deus revelavit nostram Religionem; ergo Religio Catholica, licet sit evidenter credibilis, & credenda, non est singulis fidelibus evidenter vera. Probat 4. min. ut certò & sine ulla formidine, & dubitatione credamus, Deum revelasse nostram Religionem, satis est, quod agnoscamus evidentem obligationem credendi Deo absque formidine captivandò intellectum in obsequium fidei; atqui si prærequireretur evidentiā de veritate Religionis Catholicæ ad credendum fide divina Religionem Catholicam, non sufficeret ad credendum evidentiā de obligatione credendi Deo absque formidine, neque maneret locus ut captivaretur intellectus in obsequium fidei; ergo &c. Probat 5. min. quando aliquis cognoscit evidenter veritatem ex aliquo medio evidenter cognito ut existente, & ut connexo cum ea veritate, si ex animi præparatione

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

non sit paratus ad credendum ex præsupposita evidentiā de tali obligatione credendi, licet non daretur evidentiā de veritate rei, quæ dicitur, sed insuper requireretur evidentiā de veritate objecti, nec captivaret intellectum neque in re, neque in animi præparatione, sive ex modo assentiendi propter dicentis testimonium quā tale; quænam enim esset, nisi illud foria captivitas intellectus, si quis diceret: nihil credam, quia Deus dicit, nisi postquam per aliud medium habuero evidentiā de veritate rei? ergo &c.

Confirm. 1. Ut captivetur intellectus in obsequium fidei, necesse est, ut intellectus amplectatur testimonium divinum, quando cognoscitur obligatio assentiendi propter illud, licet ex nullo alio medio à testimonio distincto ostendatur veritas rei, quæ creditur; sin autem, explicent Adversarij in quo stet captivitas intellectus ad fidem divinam requisita; atqui, si necessaria esset singulis fidelibus ad credendum necessitate fidei secundum se evidentiā de veritate objecti, nunquam posset componi cum divina fide talis captivitas intellectus, ut ex terminis patet; ergo &c. Confirmatur 2. ex 19. Propositione ab Innocentio XI. damnata, & adducta num. 714. Ideo captivatur intellectus in obsequium fidei ex imperio voluntatis, quia voluntas ad imperandum assensum sine ulla formidine propter meritum Verbi Dei repræsentatum non attendit ad evidentiā, per quam Verbum Dei repræsentetur reverà existens, sed ad evidentem obligationem ita imperandi, ideòque damnata est sententia eorum, qui dicebant, non posse voluntatem efficere, ut fidei assensus sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium; cūque rationes præviæ solum impellant ad assentiendum obligationi credendi, non verò ad assentiendum existentiae testimonij divini aut veritati objecti credendi, manet quoque damnata sententia, quæ docebat, non posse ex imperio voluntatis intellectum in eo casu magis firmè assentiri; sed ex eo, quod ita possit assentiri, intellectus ideò captivatur, quia non exigit ad illum assensum præviā evidentiā de veritate objecti crediti; ergo &c.

Respondetis, captivitatē intellectus ad fidem divinam requisitam in eo stare, quod præsupposita illa evidentiā inferiori de veritate objecti, quod revelatur, intellectus relinquendò motiva evidentiæ assurgat ad altiorē assensum per simplicem adhæSIONem ad Verbum Dei. Contra tamen 1. Postquā præcessit illa evidentiā per inferiora motiva ad Verbum Dei, evidenter cognoscit intellectus infallibile Verbum Dei evidenter propositum mereri altiorē assensum supra assensum prævium fundatum in motivis inferioribus; atqui intellectus non captivatur assentiendò objecto evidenter cognito, juxta meritum evidenter cognitum in objecto, nisi simul ex animi præparatione

Uu u u

paratione

paratione paratus sit ad credendum, quamvis abesset evidentia, & solum maneret evidens obligatio ita credendi, ut jam antea praeponui num. 563. agendò de evidentia in attestante; ergo &c.

717. Contrà 2. Si intellectus non determinetur à voluntate ita in animo præparata, quando elicit piam affectionem imperantem actum fidei, nunquam assentiretur alicui objecto per fidem supra veritatem evidenter cognitam, & supra meritum objecti evidenter cognitum; atqui intellectus, qui nunquam ita assentitur, nullo modo dici potest capriviari assentiendò in obsequium dicentis; ergo &c. Contrà 3. Ideò, ut Adversarij ipsi fatentur, judicia prævia ad actum fidei non sunt præmissæ, neque actus fidei est discursivus, quia actus fidei non elicitur juxta meritum contentum solum in judicijs prævijs, sed juxta altius meritum infallibilis Verbi Dei, quod judicia illa propria ostendunt; ergo, si judicia illa prævia ex necessitate deberent esse evidens cognitio verbi Dei re verà existentis, nunquam assurgeret intellectus supra meritum veritatis evidenter cognitæ ut existentis; quomodo ergo staret intellectus captivitas? quam magna sit hujus argumenti vis, facillè ostenditur, si ad Scripturam, & ad primitivam Ecclesiam recurramus. Quare

718. Probatur 4. conclusio, in hoc nimirum principio, quòd non possumus, nec debemus certò credere, Deum aliquid revelasse, nisi de revelatione habemus evidentiam convincentem, fundatur incredulitas sapientum hujus mundi, quorum sapientia, ut ait Apostolus 1. Corinthiorum 3. stulticia est apud Deum: atqui Adversarij stabiliunt hoc principium, ut doceant, Religionem Catholicam esse evidenter veram, hancque evidentiam requiri in singulis fidelibus ad credendum; ergo &c. Probatur min. Sapientes hujus mundi, quando illis proponitur, Deum revelasse nostram Religionem, ideòque firmissimè credendum esse illi, statim postulant, ut hoc probetur evidenter evidentia convincente intellectum, simulque adjungunt se non posse, nec debere firmiter hoc credere nisi rationibus evidentibus convincantur; & cum rationes evidentes non appareant hic pro veritate Religionis Catholicæ, exinde pertinaciter nolunt credere, juxta illud Thomæ Joannis 20. *Nisi videro, non credam*; quare Paulus 1. Corinth. 1. dixit: *Scriptum est enim, perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobo*; quomodo enim non reprobaritur cum sapientia, quæ impedit, ne intellectus captivetur in obsequium fidei, eò quòd non cognoscit evidenter veritatem, licet cognoscat evidenter obligationem credendi, & se captivandi; ergo &c.

719. Confirm. 1. Initio Ecclesiæ sapientes hujus mundi existimabant, non esse credendum, Deum revelasse nostram Religionem, nisi revelatio probaretur evidenter; & quia evidenter

non probabatur nolebant credere, ideòque non multi sapientes crediderunt, neque electi fuerunt ad fidem, ut ibidem ait Apostolus: *Videte enim vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes*; & converso simplices, & indocti, cum non niterentur eo principio, firmissimè crediderunt non solum verbis, sed etiam factis, & operibus sanctissimè vivendò, & fortissimè moriendò pro Christo testati sunt, se firmissimè credidisse, quæ non probabantur evidenter; ergo ex testimonio Scripturæ, & primitivæ Ecclesiæ constat, non requiri evidentiam de veritate Religionis Catholicæ, ut unusquisque fidelis credat fide divina Religionem Catholicam. Confirm. 2. exemplis per totum orbem conspicuis in Ecclesia Dei; postquam enim homines docti, & sapientes viderunt simplices, & indoctos firmissimè credidisse, ideòque libenter, & alacriter pro Christo sanguinem suum fudisse, eorum exemplò ipsi docti, & sapientes captivarent intellectum in obsequium Dei revelantis, & experientià deprehenderunt, se posse firmissimè, & certissimè credere Deum revelasse Religionem nostram, etiamsi talis revelatio non probaretur evidenter; ergo &c.

Probatur 5. Hæc duo inter se valde distincta sunt, scilicet evidens obligatio credendi aliquam rem, & evidentia de veritate ejusdem rei; ut constat ex num. 569. ergo hæc duo sunt etiam valde diversa, evidens obligatio credendi fide divina Religionem Catholicam esse veram, & evidentia de veritate Religionis Catholicæ; atqui præsupposità evidentia de obligatione credendi fide divina Religionem Catholicam esse veram, possumus credere fide divina veritatem Religionis Catholicæ; ergo non est de necessitate fidei secundum se evidentia de veritate, neque in singulis fidelibus requiritur ad credendum; conseq. cum min. videntur legitime descendentes ex primo antecedente. Probatur igitur illud primum antecedens: evidens mihi est, quòd ego deo credere homini veraci, & prudenti, contra quem nullam habeo suspensionem de mendacio, aut falsitate; & tamen non est evidens, verum esse, quòd ille dicit; evidens est filijs parvis, quòd debent credere patri, aut matri, & tamen non est evidens, vera esse, quæ dicunt pater, & mater; & sic de pluribus alijs exemplis passim obvijs; ergo &c.

Confirm. Non possumus prudenter negare, homines in Ecclesia Dei doctissimos, & virtutis famam præditos eliciisse actus fidei divinæ, ac proinde habuisse sufficientem approximationem Verbi Dei; atqui, ut ipsi testantur, non habebant evidentiam de veritate, vel de revelatione divina; sed solum evidentiam de obligatione credendi; ut constat ex verbis D. Thomæ, & Eximij Doctoris superius allatis, quod

quod etiam de se ipso testatur Bellarminus lib. 4. de Notis Ecclesiæ cap. 14. ubi ait: *Ex miraculis demonstratur Ecclesia, non quoad evidentiam, vel certitudinem rei, sed quoad evidentiam, & certitudinem credibilitatis; huius ratio est, quia ante approbationem Ecclesia non est evidens, aut certum certitudine fidei de ullo miraculo, quod sit verum miraculum, tamen est tale, ut evidenter faciat rem credibilem; & quidem, quod non sit evidens, patet, quia tunc fides esset evidens; quod non sit certum certitudine fidei, patet; quia non constat ea certitudine, cui non possit subesse falsum, illam non posse esse illusionem Damonis: at ex Ecclesia demonstratur miraculum quoad certitudinem rei; quia, quando Ecclesia declarat miraculum factum, esse verum miraculum, certi sumus, ita esse; ergo &c.*

722. Probatur 6. Actus fidei utpote liber, & meritorius juxta doctrinam Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, superius adductam indiget libero voluntatis imperio; atqui non posset indigere libero voluntatis imperio, si ad illud eliciendum voluntas ex animi præparatione disposita non esset ad imperandum actum divinæ fidei, quando præluceret evidentiā de obligatione credendi, licet non præluceret evidentiā de veritate rei credendæ, sive de divino testimonio rem illam testificante; ergo neque ex necessitate fidei, neque in singulis fidelibus requiritur evidentiā de divino testimonio dicente, Religionem Catholicam esse veram; proindeque neque requiritur evidentiā de veritate talis Religionis Catholicæ; major & consequenter tenent, min. verò probatur. Intellectus non indiget libero voluntatis imperio ad assentiendum objecto ex motivo, & propter motivum evidenter cognitum, & evidenter connexum cum objecto; hæc enim est vis evidentiæ, quæ rapit intellectum ad assensum, ut experienciā constat & inductione per ea omnia, quæ sunt simpliciter evidentiā; atqui, si necessario deberet præcedere non solum evidens obligatio credendi veritatem Religionis Catholicæ propter infallibile testimonium divinum, sed deberet etiam præcedere evidens cognitio infallibilis de existentia divini testimonij dicentis, intellectus evidenter cognosceret Religionem Catholicam esse veram ex testimonio divino evidenter cognito, ut existente, & connexo cum ea veritate; & quamvis omnia alia deficerent, satis esset illud divinum testimonium, ita evidenter cognitum, ad asserendam veritatem Religionis Catholicæ; ergo intellectus necessitaretur ad asserendam veritatem Religionis Catholicæ unice propter testimonium divinum, quin ad hoc ullo modo indigeret libero imperio piæ affectiōnis.

723. Confirmatur. Si Petrus cognosceret per speciem intuitivam extrema, & per aliam cognitionem cognosceret intuitivè unionem, ut connexam metaphysicè cum extremis, non so-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 6

lūm necessitaretur propter intrinsecam veritatem extremorum ad asserendum, extrema existere, sed etiam necessitaretur ad asserendum, extrema existere propter exigentiam unionis, quam evidenter cognosceret metaphysicè connexam cum existentia extremorum, quin ad unum, vel ad alterum assensum indigeret pio voluntatis imperio; ergo, si intellectui proponeretur veritas Religionis Catholicæ non solum propter evidentem connexionem signorum cum ipsa, sed etiam propter evidentem connexionem infallibilis divini testimonij cum eadem, intellectus necessitatur ad asserendum, Religionem Catholicam esse veram, non solum propter signa credibilitatis præcisim à testimonio divino, sed etiam propter infallibile testimonium divinum præcisim à signis credibilitatis; quomodo ergo staret obsequium illud maximum, & tam laudabile captivitas intellectus, quam Scriptura tantum commendat 2. Corinth. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*; ita, ut parati semper simus dare rationem de nostra fide per evidentem obligationem credendi; juxta illud 1. Petri 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe*, vel ut alij antiqui Codices legunt, quos sequitur D. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 10. in argumento, *sed contra. De ea, quæ in vobis est fide, & spe.*

724. Assero 2. Non est evidens nobis, Religionem Catholicam esse veram, sive à Deo traditam. Probatur 1. Si nobis esset evidens, Religionem Catholicam esse veram, sive à Deo traditam, vel esset evidens evidentiā supernaturali à Deo infusa, vel evidentiā naturali à nobis per discursum acquisita: sed neutro modo est nobis evidens; ergo &c. Probatur min. in primis non est evidens nobis evidentiā supernaturali à Deo infusa; talis namque evidentiā cum necessaria non sit ad fidem secundum se consideratam, ut constat à num. 710. nec assignabilis sit ratio de eo, quod in nobis infusa sit, pro libero, & sine fundamento adstrueretur; deinde non est evidens evidentiā naturali, nam vel hæc esset metaphysicè, & intrinsecè certa, vel tantum extrinsecè; intrinsecè autem fingi non potest, cum Religio Catholica sit supernaturalis, & nullus actus naturalis possit metaphysicè, & intrinsecè connecti cum ente supernaturali, ut diximus à num. 386. de virtute poenitentiae. Rursus neque dici potest evidentiā extrinsecè certa; quandoquidem non necessitatur ad assensum absque ulla vel imprudenti formidine, sed experimur plura retrahentia, quæ in obsequium fidei liberè vincimus; ergo neutro modo est nobis evidens. Confirmatur. Ut esset evidens nobis, Religionem Catholicam esse veram, sive à Deo traditam, satis non esset evidentiā moralis media ex se compossibilis intrinsecè cum formidine de opposito, quam possunt acquirere sapientiores, ut ait Eximius Doctor num.

U u u u 2

709. li.

709. licet majorem vim habeat ad expellendam formidinem, quam evidentiā moralis infima, quam rudes, & indocti acquirere solent; sed requireretur evidentiā moralis suprema, & ut intendunt Adversarij, metaphysicē connexa cum veritate Religionis Catholicae, eamque veritatem evidenter ostendens, qualem ipsi contendunt esse, quam habemus de existentia Constantinopolis, quamque negat Eximius Doctor disp. 6. de fide sect. 6. num. 2. cum enim naturalis sit, nequit connecti metaphysicē cum veritate Religionis Catholicae, quae supernaturalis est; ergo &c.

725. Probatur 2. Demonstratio veritatis talem habet in intellectu energiam, ut semel acquisita maneat deinceps ex ipsa natura rei semper in intellectu sibi compote, vel in se, vel in effectu suo, scilicet in specie experimentalis, quam relinquit, excludens quancunque formidinem de opposito; sic, qui semel obtinuit demonstrationem de veritate alicujus propositionis Euclidis, neque prudenter, neque imprudenter formidare amplius potest ex natura rei, an sit falsa; non enim potest formidare, dum manet in intellectu sibi compote demonstratio formalis in se ipsa, neque quando illa praecessit, cum relinquat speciem experimentalem ex natura rei excludentem formidinem, ut experientia demonstrat; unde respectu illius, qui semel penetravit modum conficiendi demonstrationem de veritate alicujus propositionis Euclidis, licet nunc non recorderetur quomodo conficiatur, ut saepe contingit; si tamen ab illo quaeramus, an haec propositio Euclidis sit vera, vel falsa, statim respondet absque ulla formidine esse veram, quod quidem signum est, demonstrationem semel acquisitam manere deinceps ex natura rei semper in intellectu sibi compote vel in se, vel in effectu suo excludendō omnem formidinem; atqui homines docti, qui expendendō signa credibilitatis semel assecuti sunt evidentiā de obligatione credendi, non obtinuerunt exinde evidentiā excludentem deinceps ex natura rei omnem formidinem de falsitate Religionis Catholicae, sed decursu temporis imprudenter dubitarunt, & exinde ad alia imprudentia iudicia progredientes in formalem internam haeresim inciderunt; ut constat ex Scripturis, Pontificibus, Concilijs, & Patribus damnantibus tales haereses internas; aliter non veras haereses, sed phantasmata tantum damnassent; ergo ex signis credibilitatis fides Catholica, licet sit in nobis evidenter credibilis, & credenda, non est evidenter vera.

726. Respondebis, illos, qui expendendō signa credibilitatis assecuti sunt semel evidentiā de obligatione credendi, obtinuisse etiam evidentiā de veritate Religionis Catholicae, quamquam postea imprudenter formidaverint, & de gradu in gradum miserē ruendō in haeresim internam tandem inciderint. Quare exinde non inferitur, eos non habuisse evidentiā de

veritate Religionis Catholicae, sed potius voluisse retrahere intellectum à motivis evidentiā generantibus. Contra tamen 1. Semel acquisitā evidentiā de veritate alicujus objecti, licet ex imperio voluntatis intellectus possit distrahere non attendendo ad rationes generantes evidentiā, non tamen potest ex imperio voluntatis amittere speciem experimentalem, quam acquisivit, in qua tamquam in effectu suo remanet evidentiā excludens omnem formidinem de veritate illius objecti, ut constat ex num. superiori; ergo, si illi assecuti fuissent evidentiā, non potuissent ex imperio voluntatis in internam haeresim incidere. Contra 2. Ex eo illi haeretici habent remorsum conscientiae de eo, quod malè agunt, relinquendō Religionem Catholicam, arque in hora mortis saepe visi sunt sortem suam deplorare, quia moriuntur ut haeretici, quin vitus sit unquam tullus Catholicus, qui in morte fleat, quia moritur ut Catholicus, & non ut haeticus; ex eo nempe, quod, cum semel habuerint evidentiā de obligatione credendi, haec semper manet vel in se, vel in suo effectu, ita, ut ex imperio voluntatis tolli non possit; ergo, si habuissent evidentiā de veritate, non potuissent haec ex imperio voluntatis auferri, proindeque in haeresim internam incidere non potuissent.

Contra 3. Licet ille, qui semel assecutus est evidentiā de aliqua veritate, plures inadvertentias habere possit, ad quas maxime conducit voluntatis imperium, propter quod intellectus ad alia distrahitur, at non potest pati formidinem adhuc indeliberatam de falsitate objecti demonstrati, in quo fides, licet incertissima, tamen, quia est obscura, distinguitur ab evidentiā. Nam evidens nobis est intellectum instructum evidentiā de veritate alicujus objecti non posse per ullam inadvertentiam secum componere formidinem de opposito, licet inculpabilem, & indeliberatam, eod quod evidentiā ratione certitudinis reddat intellectum certū, & ratione claritatis incompotibilem cum qualibet etiam indeliberata formidine: at non est evidens, intellectum fidelem non advertentem ad obligationem credendi absque formidine, & inculpabiliter distractum, si tantum attendat ad rationes pro objecti veritate militantes, non posse pati aliquam inculpabilem, & indeliberatam formidinem, ut docet D. Thomas 2. 2. quaest. 4. art. 8. explicans excessum certitudinis fidei supra evidentiā quantum ad se, non quantum ad nos; & exponit Exim. Doctor disp. 6. de fide sect. 5. num. 12. scribens: Sensus ergo illius distinctionis, ut veritatem contineat, esse debet, fidei actum ex se habere puram certitudinem; nihilominus tamen ex parte subjecti posse cum illo concomitantem esse aliquam imperfectionem indeliberatam formidinis, seu dubitationis, quam non possit fides impedire, seu praevire propter obscuritatem suam; & ita explicuit D. Tho-

mas suprà ad 2. & quæst. 10. de veritate art. 12. ad 6. & quæst. 14. art. 2. ad 7. & in secundum distinctione 23. quæst. 2. art. 2. quæst. 3. sed hæc omnia satis indicant, fidem non arguere in nobis evidentiam de veritate Religionis Catholicæ; ergo &c.

728. Confirmatur 1. Licet supponamus, quod intellectus ad alia distractus, postquam acquisivit evidentiam de obligatione credendi, posset non attendere ad obligationem credendi absque formidine, & attendendò præcisè ad veritatem objecti posset inculpabiliter, & indeliberatè formidare; at si attendat ad obligationem credendi, nunquam potest formidare de sua obligatione eo præcisè, quod semel acquisiverit evidentiam de obligatione credendi; ergo inculpabilis, & indeliberata formido illa de veritate objecti, quæ non excludat fidem, proindeque neque excludatur à fide, satis aprè indicat, fidem in nobis non præsupponere evidentiam de objecto. Confirmatur 2. Si evidentia semel acquisita posset ex natura rei, vel ratione sui, vel ratione effectus, quem relinquit componi deinceps in eodem intellectu cum formidine de objecti veritate semel evidenter cognita, posset etiam aliquis omninò oblivisci evidentiam semel acquisitam, proindeque posset etiam adventitibus de novo rationibus contra veritatem objecti, de quo prius habuit evidentiam, inculpabiliter deponere assensum semel præstitum; sed id dici non potest, ut constat ex num. 605. aliter, qui semel amplexus est fidem, posset illam inculpabiliter deponere; ergo &c.

729. Probatur 3. eadem ratio, quæ probat Religionem Catholicam esse nobis evidenter credibilem, & credendam; probat etiam, non esse nobis evidenter veram; ergo &c. Probatur aut. ideo Religio Catholica est nobis evidenter credibilis & credenda, quia ex signis credibilitatis superius expensis ita clare cognoscimus, illam esse à Deo, ut de illius veritate sive absolute, sive respectivè ad omnes alias sectas consideretur, non possimus, nisi imprudenter formidare; miracula enim eas habent notas, ut suprà expendimus, quas excogitare potest ratio naturalis ad prudenter asserendum, ea esse vera, ita, ut non nisi imprudenter negari possit, talia esse, ut negabant Donatistæ, contra quos, tanquam contra homines imprudenter asserentes, invehitur acriter Augustinus, & Beda lib. 4. cap. 48. in 11. Lucæ caput contra illos, qui ad credendum exigebant videre miracula: *Alij, inquit, tentantes signum de celo querebant ab eo, vel in morem Eliæ ignem de sublimi venire cupiebant, vel in similitudinem Samuelis tempore æstivo mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere, quasi non possent & illa calumniare, & dicere occultis, & variis aëris passionibus accidisse.*

730. Quare, cum per solam imprudentiam, & calumniam negari possit, miracula, & alia signa esse à Deo, ille, qui expendit credibilitatis

signa, solum potest imprudenter negare, illa esse à Deo, proindeque solum potest imprudenter negare, Religionem Catholicam esse veram, in quo stat evidentia de credibilitate, & obligatione credendi; cum evidens nobis sit, teneri nos adimplere obligationem, quam ita clarè cognoscimus, ut non nisi imprudenter negare possimus fundamenta, ex quibus nobis intimatur; unde Bellarminus citatus num. 721. accuratè dixit: *Ante approbationem Ecclesiæ non est evidens, aut certum certitudine fidei de ullo miraculo, quid sit verum miraculum, tamen est tale, ut evidenter faciat rem credibilem; sic Presbytero est evidens obligatio parendi suo Episcopo, & tamen non est illi evidens, quod sit Episcopus; nam evidens non est, quod sit ritè baptizatus, & non potest esse Episcopus, si ritè baptizatus non sit; atqui eo ipso, quod possumus vel imprudenter negare fundamenta, vel formidare de veritate fundamentorum, non est nobis evidens veritas; siquidem evidentia de veritate ita rapit intellectum ad assensum, ut excludat non solum prudentem, sed etiam quancunque imprudentem formidinem; ergo eadem ratio, quæ probat Religionem Catholicam esse nobis evidenter credibilem, & credendam, probat etiam, non esse nobis evidenter veram; & certè si esset evidenter vera, cum nemo timeat tentationes contra evidentiam, nec timere posset contra fidem, quod quàm falsum sit, vel ipsa experientia demonstrat. Ex dictis*

Fit 1. Dupliciter excogitari posse evidentiam formalem actus assentientis veritati Religionis Catholicæ absque formidine, alteram quidem intrinsecè veram, & alteram solum extrinsecè. Evidentia formalis actus non tantum extrinsecè, sed etiam intrinsecè vera stat in actu, qui ex apparentia objecti ita necessario assentitur objecto, ut actus ipse ex intrinsecis suis connexionem habeat cum objecto ut affirmato; quare, cum actus connexionem ejusmodi accipere non possit, nisi ab aliquo ex his tribus, nempe 1. ab objecto per se noto v. g. quando asserimus, totum est majus sua parte. 2. ab aliquo certo, & evidenter cognito, ut connexo cum objecto ut affirmato v. g. quando ex dependentia creature ab alio evidenter, & certè cognita, ut connexa cum prima omnium causa incausata, & independente ab alio inferimus per evidentem demonstrationem primam omnium causam, scilicet Deum.

3. Ab ipso Deo, qui verissimè objectum cognoscit, & potest pro suo libito nulla respectu nostri præsupposita apprehensione, aut apparentia objecti infundere nobis evidentem cognitionem de ipso objecto vel intrinsecè, vel saltem quoad modum supernaturalem, supernaturalitate Philosophica, aut Theologica, prout ipsi Deo libuerit, ut diximus num. 605. & latius à num. 464. & repetit D. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 9. ad 3. unde, licet evidentia naturalis de credibilitate, & credentia Religionis

ligionis Catholicae non possit conducere intrinsecè ad acquirendam cognitionem supernaturalem, Deus tamen infundit nobis cognitionem, & illustrationem supernaturalem de ea credibilitate, & credentitate, necessariam quidem, ut voluntas sit proximè potens elicere piam affectionem supernaturalem, ut diximus num. 593. & definit Tridentinum sess. 6. can. 3. quamquam nos in hoc statu non possumus discernere, an actus sit naturalis, an supernus; sicut, quando elicimus amorem Dei, non possumus discernere, an ille amor sit naturalis, vel supernus; quod desumitur ex natura entis theologicè superni discretionem istam nostram superantis; eà autem evidentiam semel acquisitam non potest jam deinceps intellectus sibi compos ex natura rei formidare, ut sæpè diximus; cæterum duo valde notanda sunt: primum quidem ex industria sæpè dixisse in intellectu sibi compote; nam amentes non possunt rationabiliter uti specie experimentalis relicta à demonstratione, quam ante amentiam acquisierunt. Secundum ex industria quoque dixisse, eam specie perseverare deinceps ex natura rei, quod ad rem nostram satis est; nam, licet per negligentiam, aut aliam similem causam posset post longum tempus ratione contrarij supervenientis destrui ea species experimentalis, quæ ex natura rei exigebat stabilitatem, circa rem debitam non fieret inculpabiliter, nec fieri potest, dum ipsa perseverat: cum tamen experientia doceat fideles, dum sunt proximè potentes ad eliciendum actum fidei, quandoque pati tentationes contra fidem, eosque posse imprudenter formidare, si nolint adimplere suam obligationem; quod signum manifestum est, eos non habere demonstrationem neque in se, neque in effectu suo, ac proinde fidem in nobis non præsupponere evidentiam de objecti veritate.

733. Evidentia verò formalis actus non quidem intrinsecè, sed extrinsecè vera sit in actu, quo ex apparentia objecti assentimur absque formidine objecto, ut in re est; ita, ut actus ex intrinsecis suis non connectatur cum tali objecto, ut affirmato; talis autem actus præscindendò ab omnipotentia Dei extrinsecè determinante ad unum, non aliter elici potest, nisi quando aliquod motivum ducens ad assensum proponitur cum carentia omnis retrahentis in oppositum, removendò prohibens, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. quæst. 2. art. 10. ad 2. ita, ut motivorum pondus sic dispositum obruat intellectum, nec relinquit illum formidare de opposito; sic confingit respectu intellectus, & voluntatis in motibus primò primis, ut diximus à num. 114. & 173. de Beatitudine, quæ sanè est ratio, propter quam in illis motibus voluntas non peccat; hoc modo necessitantur Dæmones ad assentiendum veritati Religionis Catholicae, ut diximus à num. 692. quandoquidem motiva pro veritate Religionis Catholicae proponuntur illis absque ullo retrahente,

& vellent, quòd non ita proponerentur, idèque laudabilitatem non habent, ut diximus à num. 563. Non enim possunt Dæmones sibi persuadere, quòd hæretici, & inimici Religionis Catholicae imprudenter asserunt; nimirum miracula, & alia signa comprobantia veritatem Religionis Catholicae non esse vera miracula, sed arte magica, ope Dæmonum facta.

Sciunt equidem Dæmones ea miracula facta non esse ope ipsorum, neque eorum superbià, in qua pertinaciter perseverant, sinit eos, ut sibi persuadeant, aliquam fortasse creaturam esse ipsis nobiliorem, eisque occultam, Deoque inimicam, quæ ad decipiendos homines ea mirabilia opera exhibeat; unde, cum nulum illis superstit retrahens in oppositum, obruitur eorum intellectus, & contra suam voluntatem necessariò, & coactè assentiuntur, sicque credunt, & contremiscunt; non ita legesserunt Angeli sancti, dum erant viatores, qui proposita evidenti obligatione credendi captivârunt libenter intellectum in obsequium fidei, sicut captivant illum animæ purgantes, licet habeant etiam evidentiam in attestante; quia potius primus Angelus, qui alios illuminat, & qui habuisse creditur evidentiam in attestante non quidem ab illa evidentia, sed ab obligatione credendi, movebatur ad imperandum assensum fidei ex dictis à num. 710. ubi notandum etiam est, quòd, ut intellectus obruat motivorum pondere, necessarium non est, ut metaphysicam connexionem agnoscat; sed quandoque sufficit minor vis motivorum cum aliquo adjuncto, quòd homo timet, vel maxime desiderat; unde ex vehementi animi passionis obruitur intellectus, nec manet illi locus formidini, ut docent Theologi in tract. de Passionibus. Sic nemo sibi persuadet, quòd non comburetur, si propter sua delicta mittatur in fornacem accensam, neque formidabit de combustionem, vel de ejus carentia, quamquam sciat, Deum, si velit, posse combustionem impedire; quòd idem comprobari facile potest quàm plurimis alijs exemplis ab experientia desumptis.

Quando autem intellectus sive eò quòd penetrat connexionem unius cum alio, sive eò quòd motivorum pondere obruat, sibi persuadet connexionem unius objecti cum altero, non potest elicere assensum unius sine assensu alterius; sic, qui sibi persuadet, dari unionem connexam cum extremis, non potest affirmare existentiam unionis, quin affirmet existentiam extremorum. Quamobrem, cum intellectui proponitur aliquid motivum ducens ad assensum alterius objecti absque ullo retrahente ex assensu illius motivi, assentitur necessariò alteri objecto; non quidem ratione evidentiae formalis intrinsecè veræ, cum motivum illud non sufficiat ad talem evidentiam generandam; sed propter illud motivum cum carentia retrahentis apparens, quo obruitur; hæc est ratio, quare juxta doctrinam Eximij Doctore

Doctōris citatum num. 512. Conclusio Theologica est naturalis, licet inferatur ex duplici praemissa supernaturali; nam intellectus, licet non possit naturaliter penetrare ens supernum, ejusque existentiam evidenter asserere; at per assensum praemissis semel adhibitum non solum habet motivum apparens ad assensum conclusionis, sed etiam habet remotionem impedimentorum, qua intellectus impellitur, & obtruitur, ut exerat vires suas elicendo assensum illativum; unde vi sua naturalis infert illam conclusionem, quae utpotè naturalis non potest habere certitudinem superantem actum naturalem, neque connecti potest cum ente supernaturali; siquidem ens supernum, quā tale, excedit connexionem naturā.

736. Fit 2. Non posse nos elicere actum divinæ fidei per simplicem adhesionem ad Verbum Dei ex libero voluntatis imperio ad fidem omnino necessario, ut intellectus captiveretur, si non aliter sit parata moveri voluntas ad imperandum, nisi ex evidentiā testimonij divini dicentis; necesse quidem omnino est, ut intellectus sive habeat, sive non habeat evidentiā in attestante captiveretur, ut eliciat actum divinæ fidei, quod significat Apost. cit. num. 723. dum docet, non solum hunc aut alterum, sed omnem illum captivandum in obsequium fidei, id est, sive habeat, sive non habeat evidentiā in attestante. Quare valde timeo, quod Adversarij nullum unquam elicerent actum divinæ fidei, si, dum credunt, non ostenderent sententiam suam falsam esse; censeo enim, ipsos judicare se veritatem Religionis Catholicæ evidenter agnoscere, cum reverā non agnoscant, atque exinde moventur ad credendum ex libero voluntatis imperio, sæpè namque contingit, quod homo judicat se aliquam demonstrationem assecutum esse, quam post majus examen agnoscit non fuisse demonstrationem, sed puram demonstrationis apparentiam; ut ait Eximius Doctor disp. 3. de fide sect. 13. num. 6. nec aliam invenio viam, ut Adversarij verum divinæ fidei actum eliciant.

737. Fit 3. Non posse in sententiam nostram retorqueri illationis nostræ vim, quasi nos habentes evidentiā de veritate Religionis Catholicæ, dum credimus, censeamus illam non habere, quando reverā illam habemus. Ratio est, quia evidentiā, quæ reverā talis est, & non solum apparens, obscuritatem penitus excludit, quam evidentiā tantum apparens excludere non potest; unde, quamvis cum evidentiā tantum apparente componi reverā possit cognitio non evidens de objecto, at cum evidentiā reverā habita de objecto componi non potest iudicium de non evidentiā, ex quo argumenta à nobis efformata contra Adversarios vim majorem accipiunt; quandoquidem negari non potest, quod homines in Ecclesia Dei, & doctrinæ, & virtutis fama conspicui sæpè elicerint actum divinæ fidei, cum ipsi

planè fatentur, se non habuisse evidentiā de veritate Religionis Catholicæ; ut constat ex num. 721. indubitabile apparet, quod talem evidentiā non habuerint; unde multò minùs habuerunt illam juxta regularem hujus providentiæ ordinem alij minùs docti, & sapientes: nec credam, quod Adversarij doctiores sint Authoribus illis, quos suprà adduximus; quamobrem evidentiā de veritate Religionis Catholicæ neque requiritur ex necessitate fidei secundum se, neque est necessaria in singulis fidelibus ad credendam fidem divinā veritatem Religionis Catholicæ, neque fundamenta habemus, ut dicamus, adesse in nobis talem evidentiā.

738. Fit 4. Religionem Catholicam ex necessitate fidei secundum se non posse aliter dici evidenter veram evidentiā morali, nisi sumendo evidentiā moralem pro evidentiā credibilitatis, & credentitatis, sive pro evidentiā de obligatione credendi fidei divinā, quidquid regula divinā infallibilis, nempe Ecclesia, de qua egimus à num. 363. nobis approximat, & credendum proponit, quod etiam insinuavimus num. 591. Quapropter, si Adversarij concedant, non requiri apparentiam convincentem intellectum ad assensum, juxta meritum objecti evidenter cognitum, sed sufficere illam, quam communiter vocamus credibilitatem, & credentitatem, sive evidentem obligationem credendi, cumque vocent evidentiā moralem, vel practicā contradistinctā à purā probabilitate, quæ actum oppositum non reddit temerarium, sed minùs probabilem, ut dicemus num. 742. conveniunt nobiscum in re, & faciunt solam quæstionem de nomine, abutentes nominibus, dum apparentiam non convincentem intellectum vocant evidentiā simpliciter; at sistendum sit rigori verborum, quibus Adversarij se explicant, non hæc, sed alia est evidentiā, quam admittunt; cum dicant esse evidentiā testimonij divini, ut metaphysicè connexam cum ipso testimonio divino, ita, ut judicia prævia ad piā affectionem sint ex se ipsis impossibilia cum quacunque etiam imprudente formidine, ac proinde, quod asserant apparentiam testimonij divini convincentem intellectum ad assensum; hanc enim evidentiā dicimus neque requiri ad fidem secundum se, neque reperiri in nobis.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

Obijcies 1. contra primam assertionem: Si fides secundum se considerata non præ-exigeret evidentiā de objecto, & quidem metaphysicā, ideo esset, quia stare non posset maximum fidei obsequium, & intellectus captivitas: sed hoc non inferitur; ergo &c. Pro-

739.

batur